

fragium, nostros misimus homines opem alaturos miseris qui naufragio superessent in tanta necessitate laborantibus: quod eo libentius et promptis fecimus animis, quod submersam navem cognovimus Illustrissimi Domini fuisse, et fecimus quidem enixe quod potuimus in huiusmodi casu miserando, ob reverentiam et honorem quem semper habuimus erga illud Excelentissimum Ducalem Dominium, dedimusque omnem operam et curam, ut de profundo pelagi tam merceimonia quam submersæ navis ornamenta per nostros homines magna ærumna extraherentur. Postremo, volentes omnium indemnati prospicere, magnificum dominum Aloisium domini Andreæ Foscarinum nobilem venetum et duos cives nostros, extractarum rerum, et forte si quæ extrahentur fecimus conservatores; quorum cura fide omnia conservarentur. Et nobiles qui naufragio superfuere submersæ navis, una cum conservatoribus, præposuerunt scribanum suum et ad conservandum et extraendum. Propterea Celsitudinem Vestram vehementer oramus, nos velint facere suis litteris certiores, quibus dictas res emersas et si forte quæ emergentur, dicti conservatores debeant consignare, ne cuiquam sit de nobis posthac ullus querellæ locus, cupientibus quemque de illis quid suum est habiturum.

Ragusi, die XXIII Novembris 1515.

*Excellentissimæ Dominationis Vestræ
Rectores et Consilium Ragusi
ad multa parati.*

A tergo: *Serenissimo Principi et Excellentissimo Domino Leonardo Lauredano, Dei gratia Duci Venetiarum, Domino potentissimo.*

Recepta 8 Decembris.

208 *Die 9 decembrio 1515, in Majori Consilio.*

Sier Franciscus Bolani, sier Federicus Renerio, sier Franciscus Pisaurus, advocati Communis.

Cum modo in exitu hujus Consilii V. N. sier Marci Dandulo doctoris et equitis electi et remansi capitanei Cretæ et quorundam ejus attinentium, cum licentia tamen Illustrissimi Domini, multi alii nobiles non affines neque attinentes præfati sier Marci Dandulo, temerarii et presumptuosi, omni timore postposito ac reverentia optimarum legum et ordinum tam excelentissimi Consilii quam hujus Consilii,

nec non in contemptum Advocatorum Communis, tumultuose et impetuose egressi sint, cum malo et periculoso exemplo in futurum nullatenus pro dignitate hujus Consilii tollerando, cum in Republica potissimum sit habere obedientiam; propterea vadit pars: quod auctoritate hujus Consilii, omnes prædicti nobiles transgressores legum et ordinum ipsorum priventur et privati esse intelligantur de omnibus officiis, beneficiis, regiminibus et consiliis hujus civitatis, tam intus quam extra, per annum unum proximum futurum: nec non teneantur et debeant dare hospitali seu xenodochio Pietatis ducatos 25 pro singulo eorum, sine aliqua contributione Advocatorum Communis. Et si quæ esset in contrarium pars, suspendatur et suspensa sit pro hac vice tantum. Dumtaxat si quispiam dictorum transgressorum infra triduum venerit ad manifestandum se et aliquem alium ex sociis suis transgressoribus Advocatoribus ipsis Communis, sic quod per ejus manifestationem veritas habeatur, sit liber et absolutus ab omni pœna, ut supra dictum est, et nihilominus transgressores ipsi accusati incursi sint ad suprascriptas pœnas, et teneatur secretus; et si quis alius qui non foret ex transgressoribus dictis accusaverit, ut supra, aliquem ex eis, sic quod per ejus accusam veritas habeatur ut supra, consequatur et habeat ipse accusator ducatos 25 de bonis accusati seu ab accusato. Aliter, si fuerit nobilis et accusatus fuerit scire et manifestare noluisse, incurrat ad suprascriptas pœnas privationis et solutionis ducatorum 25 hospitali prædicto; si vero fuerit popularis, stet per menses sex in carceribus clausus, et privatus sit omnibus officiis quæ haberet vel teneret quomodocumque 208* in perpetuum.

Non sincere 17

De non . . . 525

† De parte . . . 899

Die 16 Decembris.

Publicati fuerunt infrascripti quatuor nobiles incursi esse ad pœnas contentas in suprascripta parte, et licentiati e Majori Consilio per dominum Franciscum Bolani advocatum Communis.

Sier Franciscus Valerio qu. sier Valerii.

Sier Franciscus Maripetro qu. sier Troilli.

Sier Dominicus Georgio qu. sier Aloisii.

Sier Johannes Franciscus Bragadino sier Petri.